BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
151
N
5
NAPOLI

BIBL. NAZ.
151
N
5
NAPOLI

102
G
114

~~102 V 45~~

Digitized by Google

102
S
65

FRIDERICI ROTH-SCHOLTZII
HERRENSTADIO-SILESII

THESAVRVS SYMBOLORVM AC EMBLEMATVM.

i. e.

INSIGNIA BIBLIOPOLARVM ET TYPOGRAPHORVM

AB INCVNABVLIS TYPOGRAPHIAE AD NOSTRA VSQVE TEMPORA
CVM INDICE DVPLICI
VNO
BIBLIOPOLARVM ET TYPOGRAPHORVM
ALTERO
VRBIVM ET LOCORVM.

PRAEMISSA EST
IOHANNIS CONRADI SPOERLII
DISSERTATIO EPISTOLARIS
AD
FRIDERICVM ROTH-SCHOLTZIVM
QVAE
INTRODVCTIONIS IN NOTITIAM
HORVM INSIGNIVM
LOCVM
TVERI POTERIT.

ACCESSIT
GEORGII ANDREAE VINHOLDI
SCHOLAE QVAE CYGNEAE EST
RECTORIS MERITISSIMI
PROGRAMMA
DE
QVIBVSDAM NOTIS ET INSIGNIBVS
BIBLIOPOLARVM ET TYPOGRAPHORVM.

NORIMBERGAE ET ALTORFII
APVD HAEREDES IOH. DAN. TAVBERI
A. O. R. MDCCXXX.


BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

151 · N · 5

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE" NAPOLI



FRIDERICVS ROTH-SCHOLTZ
Herrenstadio-Silesivs
Bibliopola Norimbergenſis
et Altdorfinus
Natus A. R. S. 1687. d. 17 Septembr.
M. Tüſcher ad Vivum del. Obſervantiæ ergo aere inciſus a G. W. Knorrio, Norib.



VIRO DE RE LITERARIA OPTIME MERITO

FRIDERICO ROTH-SCHOLTZIO

BIBLIOPOLAE NORIMB. ET ALTORF.
S. P. D.

M. IOHANNES CONRADVS SPOERL,
APVD NORIMBERGENSES IN AEDE AEGIDIANA
VERBI DIVINI MINISTER.

Prodit igitur egregia inſignium typographicorum collectio, quam eruditiſſimi viri plures diu deſiderabant, abs Te, Vir Humaniſſime, promiſſam avide expectabant, &, cum vix per partes ſive ſectiones edi coepiſſet, ſuis in ſcriptis jam digno praeconio excipere feſtinabant. Non opus eſt, nominare Tibi [a] CRVSIOS, [b] LILIENTHALIOS, [c] BERNHARDOS, [d] FABRICIOS, qui Tibi deſideriis ſuis occaſionem dederunt, laborem hunc moliendi. Quid nova literaria [e] memorem, quae Lipſiae prodeunt? quid nova Schiff-

 beckien-

a) Symbolothec. doct. p. 8. ſeq.
b) de hiſt. lit. certae cujusd. gentis ſcrib. p. 172.
c) Hiſtor. der Gelehrten, p. 656.
d) Bibl. Lat. Vol. III. p. 890.
e) An. 1728. p. 444.

beckienſia [f] ? quid tabulas hiſtoriae recentiſſimae Coburgenſes [g] ? quorum auctores propoſitum hoc Tuum & conſilium univerſitati doctorum ex merito commendarunt. Atque haec eadem ſcripta ſunt, quae prima hujus theſauri ſpecimina laudibus ſuis publice proſecuta ſunt. In quo aemulos habuere etiam alios Reipublicae literariae Mercurios, qui e. c. in Actis Franconiae eruditis [h] & Relationibus Tubingenſibus, [i] inſignis hujus inſignium librariorum collectionis mentionem facere certaverunt.

Ergo Tibi Muſae omnes merito gratulabuntur, cum integrum mox exhibueris opus hoc, quod plurimis ſaepe exoptatum eſt, nemini tamen prius tentatum; & quod Tu ipſe jam abhinc XX. annis aggreſſus es.

Licebit ſemper, quoad literarum cultus durabit, talium inſignium editorem primum celebrare ROTH-SCHOLTZIVM. Ad Te utique, Amice ſuaviſſime, haec gloria pertinet, quicquid forte nonnulli fautores nominis Draudiani obloquantur. Nota eſt hiſtoria de GEORGIO DRAVDIO, qui *typographicum diſcurſum experimentalem* ediderit, *varium, utilem & jucundum, cum praecipuorum typographorum, illorum imprimis, quorum impenſis libri in lucem prodeunt, inſignibus, quae frontiſpiciis librorum imprimere conſueverunt, eorundemque expoſitionibus conjecturalibus.* Addunt, hunc librum anno 1625. *Francofurti*, in forma, quam vocant octavam, editum fuiſſe. Sed ego non ſum credulus his auctorum; cetera ſatis illuſtrium, dubiis relationibus. Manet ſua MALLINKROTO, & STRVVIO, manet REIMMAN-

f) An. 1728.
g) 1729. m. Febr.
h) P. XVIII. p. 517.
i) P. IV. p. 59. 60.

Reimmanno ſua celebritas, qui hunc nobis nuncium confirmarunt. Attamen eruditiſſimi etiam viri, quoad homines manent, humani nihil a ſe alienum putabunt. Allegarunt omnino librum, quem nunquam adſpexerant, quem vidiſſe ſe nemo adhuc ex vero profiteri potuit. Tu certe, vir pereximie, ante aliquot jam annos, publice omnes librorum poſſeſſores in novis literariis Lipſienſibus, ut quis Dravdivm oſtenderet, ſed fruſtra, rogaſti. Io. Adamvs Bernhardvs, qui diſcurſus Draudiani, tanquam revera editi, mentionem aliquando fecerat, errorem jam ipſe agnoſcere coepit, &, quo gaudet candore, in peculiaribus ad Te, Roth-Scholtzivm ſuum, exaratis literis ingenue confeſſus eſt, ſe, Strvvivm Reimmannvmque duces ſecutum, confidentius quam par erat, fabulam iſtam narraviſſe, maxime cum alius quidam ex ipſius amicis certiorem ipſum faceret, quaſi legiſſet librum, parum olei auctorem operaeque in eundem impendiſſe.

Recordor heic etiam commercii literarii, quod Tibi cum illuſtri viro, Zacharia Conrado ab Vffenbach intercedit. Laetari omnino potes hujus tanti & in hiſtoria literaria excellentiſſimi viri conſenſu, qui ſerio negat, ſibi Dravdivm de inſignibus typographicis unquam in conſpectum veniſſe. Multa & lauta & magnifica eſt Vffenbachii ſupellex libraria, ſed inter tot volumina Tu fruſtra Dravdivm quaeſiveris, quem etiam idem Vffenbachivs in Bibliotheca Francofurtenſium publica, cum tamen Francofurti impreſſus dicatur, reperire non potuit. Maluerunt ſcriptores Dravdivm, quam nullum, nominare, qui de ſignis librariorum bene meritus fuerit. Nunc vero deſinent utique, cum Roth-Scholt-

ZIVM, DRAVDII loco, & allegare & collectionem ejus oſtendere queant.

At vero DRAVDIVS de ſe ipſe talia refert? Itane auctori de ſuis operibus loquenti non amplius credendum fuerit? Salva res eſt, & bene monuit VFFENBACHIVS, locum heic habere obſervationem MORHOFII, Bibliothecam claſſicam DRAVDII ex catalogis bibliopolarum nundinalibus maximam partem compilatam eſſe, teſtantis, & multos ideo libros complecti, nuſpiam in lucem editos. Hic mos fuit DRAVDIO, libros, promiſſos tantum, in revera editorum numerum referre; quare facile fieri potuit, ut Bibliothecae ſuae, eo ipſo anno 1625. typis impreſſae, ſuum de typographia diſcurſum, quem proxime edendum eſſe ſignificare debuerat, promiſcue libris jam tum editis insereret. Sed nunc demum fas erat prodire ſymbolorum typographicorum theſaurum, ut aetas noſtra, hac etiam in parte, ſtudia curasque Majorum ſuperaret.

Quid de PEREGRINO ANTONIO ORLANDO dicam, celebribus Italis hodie annumerando? Num hic forte primae inſignium typographicorum collectionis gloriam ROTH-SCHOLTZIO praeripuiſſe cenſendus fuerit? Suam is induſtriam in deſcribendo *ortu & progreſſu artis impreſſoriae* non male collocavit, quod illius opus Bononiae ante hos octo annos publice vendi coepit. Reperias ibi C, aut ſi mavis, XCIIII ſymbola primorum typographorum, aeri inciſa, & quinque inſcripta tabulis. Excipit deinde has imagines index aliorum ejusmodi ſignorum, alphabethico ordine diſpoſitus, ita, ut, poſita ſigni deſcriptione breviſſima, nomina typographorum ſubjiciantur, eodem variis temporibus locisque uſorum.

rum. Placuit nobis haec typographica inſignia deſcribendi commoda ratio; ſed quis eſt qui non intelligat, meliorem harum rerum notitiam ex figuris ipſis coram repraeſentatis, quam ex nudo indice ſine figuris, hauriri poſſe? Figurae vero, quas ORLANDVS, praeter nominatum modo indicem, lectoribus ſuis propoſuit, paucae admodum ſunt, neque titulum theſauri tueri poſſunt, qui Roth-Scholtzianae collectioni recte praeponitur. Imo diverſum longe inſtitutum dici meretur, quod tantum primorum artificum ſpecimina, ab eo, quod ſigna librariorum, ubicunque terrarum & quo tempore vixerint, exhibere debet. In primorum typographorum notis delineandis ORLANDVS ſubſtitit. Tu, Vir Amiciſſime, plus ultra progrederis, & per omnem, qua patet, hunc campum exſpatiaris. Jam non amplius opus eſt catalogo BAILLETI, in quo auctor hic ſigna bibliopolarum & typographorum, laudabili alioquin opera, usque ad medium ſaeculum XVII. ſed absque picturis, recenſuit. MICHAELIS vero ROETENBECCII, Medici Norimbergenſis, labor, quem ante hos centum annos colligendis & calamo delineandis librariorum veterum inſignibus impendit, cum nondum lucem adſpexerit, huc minus pertinet, ubi nonniſi de libris jam editis loquimur.

Neque tamen a me impetrare poſſum, ut beati hujus auctoris induſtriam publice heic ne praedicem, ſimulque conſilium, quo hunc laborem ſuſcepit, & ordinem, quem in eo perficiendo tenuit, breviſſimis exponam. Aſſervat librum Bibliotheca celeberrimi viri, IOHANNIS JACOBI BAIERI, Praeſidis Academiae Caeſareae, Curioſorum Naturae, communibus nuper ſuffragiis electi, & Academiae Altorfi-

torſinae Senioris, utriusque Academiae ornamenti. In tres vero partes diſpeſcitur, partibus ſingulis in forma, quam quartam vocant, exſcriptis. Prima continet *emblemata, quibus utuntur typographi in Germania, in fronte librorum ſitorum, collecta anno Chriſti MDCX.* Secunda pars exhibet emblemata typographorum Gallorum; & tertia denique, quibus typographi in Italia utuntur. Prima CCCLXXVIII. ſecunda CXXX. tertia CLXXV. paginis conſtat. Deſcribuntur ſigna typographica eo ordine, quem ſors cuique obtulit, ne vero evolventis deſiderium decipiatur, index typographorum, ſecundum alphabethi literas nominatorum, praemiſſus eſt. Enarratur primum, quas imagines emblema prae ſe ferat. Saepiſſime id ex libris exſciſſum comparet, aliquando calamo auctoris ſcriptorio delineatum cernitur. Sequuntur deinde explicationes, meris epigrammatibus conſtantes, quae tum ipſi ROETENBECCIO, tum aliis ſcriptoribus celebrioribus debentur. Vt itaque opus hoc & pictorum & poëtarum flores ſimul exhibeat. Licet id ipſum a Tuo, ROTHSCHOLTZI, inſtituto iterum quam maxime differat, quandoquidem ea tantum typographorum inſignia in medium profert, quae inter emblemata locum habent, aliis aliorum generum ſignis plane omiſſis.

Quae cum ita ſint, egregium certe inſtitutum eſt, quod ita perficis, Vir humaniſſime. Dignum quoque eſt argumentum, in quo illuſtrando opera Tua occupatur. Multum juvat hominem literis deditum, libros quoscunque hujus vel illius officinae a ſe invicem dignoſcere poſſe. Itaque notas variarum officinarum noſſe opus eſt. Praeſtat una editio auctoris alicujus alteri editioni. Typi fuſiles,

quibus

quibus utuntur typographi, alii magis, alii minus elaborati ſunt. Vnde vel pulchriores prodeunt codices, vel impuriores. Neque eadem omnium correctorum doctrina & vigilantia eſt, neque una omnibus typographis cura fuit, ut rebus ſuis idoneum correctorem praeficerent. Quis vero non malit opus mendis liberum, quam ſcatens erroribus, ſenſum auctoris miſere pervertentibus? quis ſibi non proſpiciat, ſi quem librum comparare ſibi cupit, ut probam illius editionem nanciſcatur, quae codicum veterum lectionem diligenter referat? Imo & raritate ſua ſe commendant hodie primarum officinarum, earumque nobiliorum, partus literarii, quas vero officinas bene diſtinguere poſſe, hoc opus, hic labor eſt. Cum itaque typographi peculiares notas ſui characteriſticas operibus ſuis imprimi curaverint, teſtor heic omnes ingenuos homines, annon ii laudem & bonam gratiam mereantur, qui colligendis his notis tempus ſuum ſtudiumque commodant? maxime cum nonniſi ſummo cum labore ex innumeris codicibus colligi poſſint. Lubet huc transferre Michaelis Maittairii, clariſſimi viri, verba, in *hiſtoria Stephanorum* (quem librum apud nos rariorem ex Bibliotheca excellentiſſimi Medici & Polyhiſtoris Godofredi Thomasii perluſtrandum accepiſſe me gratus profiteor) p. 2. ita diſſerentis: hujus operis utilitatem nemo non cognoſcet, niſi „ qui ignorat, character characteri, liber libro, ty- „ pographus typographo quid praeſtet; deformi pul- „ cher, emendatus corrupto, doctiſſimus ineptiſ- „ ſimo quid interſit. „

Huc ergo adeſte, qui notitiae librorum ſtudetis acquirendae, & opes ingeniorum in tot diverſiſſima

volumina diſperſas, & bonorum librorum charactees, uno quaſi oculi obtutu dignoſcere addiſcite. Quod vinum vendibile ſit, ex hedera appenſa, quam opus Rothſcholtzianum exhibet, jam intelligere poteſtis.

Quod vero ad ipſum hunc morem attinet, qui ſingulis rei typographicae artificibus ſuum peculiare inſigne tribuit, licebit nunc iſtius originem & rationem breviter deſcribere, primasque lineas ducere, hiſtoriae aliis forte uberius impoſterum deducendae. Sperare ſimul jubemus eruditos, cum non modo Vir venerandus, M. Gottfridvs Balthasar Scharffivs, Senior ad SS. Trinitatis aedem, quae Suidnicii in Sileſia floret, pluribus ſcriptis clariſſimus, jam per aliquot annos diſſertationem, & copia ſignorum, & multiplici obſervationum ad hiſtoriam literariam, theologiam, philoſophiam moralem, artemque emblematicam pertinentium apparatu divitem, *de ſignis typographorum*, prelo paratam ſervet; ſed & perquam reverendus vir, M. Iohannes Christianvs Koch de inſignibus typographicis, qualem nuper de eruditorum quorundam inſignibus dedit, peculiarem commentarium meditetur, ingeniis harum rerum cupidis plenius mox ſatisfactum iri.

Inquirimus ſtatim in tempus, quo typographi ejusmodi ſignis uti coeperint. Vbi facile intelligimus, prima, quae extant, typorum fuſilium ſpecimina nobis attentius examinanda eſſe. Sed horum conſideratio quemvis non orbum oculis edocebit, licet non ſtatim cum ipſius typographiae ortu, attamen haud diu poſt eam inventam, inſignia etiam typographica libris appingi coepta eſſe. Equidem ſi B. Io. Savbertvm noſtrum audiamus, paullo

longius

longius ab incunabulis typographiae diſcedendum eſſet, prima ſymbolorum, de quibus ſermo eſt, initia determinare volentibus. Ille nimirum in *hiſtoria Bibliothecae Reip. Noribergenſis p. 114.* ex collatione, „ inquit, vetuſtiſſimorum codicum colligi, ante an- „ num ſexageſimum ſextum in typographia Mogun- „ tina nondum moris fuiſſe, ſive auctoris, ſive loci, „ temporisve notam ſub finem apponere; poſtea de- „ mum conſuetudinem eam invaluiſſe. „ Neque vero opus erit, hanc viri de eccleſia Norimbergenſi meritiſſimi adſertionem verboſius heic corrigere, cum jam alios in hoc argumento fuiſſe occupatos ſciamus; e quibus duos tantum nominaſſe ſufficiat, Germanum alterum, GEORGIVM FRIDERICVM MAGNVM, qui in diſſertatione priore, Auguſtae Vindelicorum 1690. edita, *de antiquis S. ſcripturae verſionibus Germanicis, Auguſtae excuſis*, exempla librorum, annis 1457. 1459. 1460. impreſſorum, & FAVSTI jam SCHOEFFERI que nomina oſtentantium, in contrarium attulit: alterum Gallum, ANDREAM CHEVILLIER, qui *de origine typographiarum Pariſienſium*, ſermone vernaculo commentatus, pag. 19. SAVBERTVM data opera ſibi refutandum propoſuit. Nos, qui ex iisdem rationibus cum SAVBERTO conſentire nequaquam poſſumus, optamus tamen, ut illius adverſarii a vehementiore cenſura abſtinuiſſent. Excuſandus utique SAVBERTVS eſt, ſi vel ſolum tempus, quo ſcripſit, conſideremus, quippe qui inter primos ad has typographicae artis primitias colligendas animum appulit; ut jam nihil de eo dicamus, quod primi artifices, & ii ipſi etiam, qui libros ſuos ſuis nominibus aut inſignibus notare ſolebant, illa tamen ſaepiſſime iterum omiſerunt: quales libri, ſignis ejus-

 modi

modi carentes, ſi forte majori numero cumulati fuerint, viros alioquin doctiſſimos fallere atque in errorem inducere poſſunt.

Jam autem non ſumus contenti, oſtendiſſe, nomen typographi libris, ex officina ejus prodeuntibus, jam ante 1466. appoſitum cerni. Amplius nunc de typographorum inſignibus quaeritur, quo praeciſe illorum originem referre debeamus. Vbi miror, induſtriam perſpicacem viri celeberrimi ERHARDI REVSCHII falli potuiſſe, cum in docta, *de primorum typographorum vitis*, expoſitione, quae libro Germanico Erneſtiano* *de typographia bene ordinata*, ornando praemiſſa eſt, de HIERON. HOELZELIO, ab anno 1503--1523. claro, locutus ſcriberet: tunc nondum moris fuiſſe in Germania, ſignis emblematicis libros notare. Adſunt autem monumenta fidei plane invictae, quae cuilibet facile perſuadebunt, originem inſignium librariorum adhuc altius repetendam eſſe. Mutabit mentem ſuam REVSCHIVS ipſe, quem Academia Helmſtadienſis mecum ſerio veneratur, ſi modo ſectionem III. & IV. theſauri Roth-Scholtziani conſideraverit.

Id omnino largimur, morem iſtum non ſimul cum typographia inventa ortum eſſe. Cum JOHANNES & re & nomine FAVSTVS artem a ſe & a) GVTEMBERGIO excogitatam, quae opera doctorum virorum non per immobiles literas, uti antea fieri ſolebat, ſed typos connexiles, ut numeroſo quodam partu multa exemplaria celerrime edi poſſent, exſcribere docet, primum exercere aggrederetur, nulla tum ipſi, libros ſuos ita ſignandi, cogitatio inſidebat. Spernebantur

* ERNESTI hujus imaginem exhibes Tom. I. *iconum bibliopolarum & typograph.*
a) GVTENBERGII faciem ſiſtis inter *icones bibliopolarum & typographorum part. I.*

nebantur picturae, quas conſilia poſteriora introduxerunt. Primi libri impreſſi, manu ſcriptorum codicum formam retinuere, lectum non ſpectatum excudebantur. At vero ſufficit ad aſſerendam ſignorum typographicorum juſtam antiquitatem, demonſtrare, eundem illum FAVSTVM & typographiam ipſam inveniſſe, & inſignium quoque typographicorum auctorem eſſe. En! itaque conſuetudinis hujus primum inventorem.

Sed annum quoque, quo prima comparuerint FAVSTI & ſocii SCHOEFFERI* inſignia, accuratius ſi quis noſſe deſiderat, non ſine optima certiſſimae veritatis fiducia ſtatuimus, annum MCCCCLXII. ſignorum ejusmodi natalem fuiſſe. Primus certe liber impreſſus, qui inſigni aliquo ornatus nobis innotuit, hoc ipſo anno e typographiae prelique carceribus emiſſus eſt. Innuimus heic biblia latina, 1462. Moguntiae edita, quae in FAVSTI SCHOEFFERIque arma deſinere teſtatus nobis eſt, qui eadem in bibliotheca publica Francofurtana ad Moenum praeſens inſpexit, vir celeberrimus CHRISTIANVS GOTLIBIVS SCHWARZIVS, Comes Palat. Caeſareus, & Philoſophorum Altorfinorum Senior, ſupra laudes meas dudum jam poſitus. Celebrantur haec biblia paſſim a doctiſſimis viris, tanquam ſpecimen vetuſtiſſimorum, qui typographorum curis divulgati ſunt, librorum pulcherrimum, atque hac noſtra aetate rariſſimum. Hinc ſolemne eſt ordini eruditorum, annotare diligenter, ubi bibliorum illorum quoddam exemplum lateat; uti CHEVILLIERIVS l. c. p. 16. Bibliothecam Pariſienſem ad S. Victorem, itemque Collegii Navarrenſis, IOHANNES

D CAIL-

* Conſpiciuntur haec ſect. III. tui theſauri.

CAILLIVS, in *hiſtoria artis typographicae & librariae*, gallice ſcripta, p. 12. Bibliothecam Mazarinianam, CORNELIVS A BEVGHEM in diſcurſu praeliminari *incunabulorum typographiae*, Bibliothecam Luffridi ab Ohſterwick, Conſulis quondam Embricenſis, clar. Io. GEORGIVS SCHELHORNIVS *Amoen. Literar. Tom. IV. p. 555.* Bibliothecam Carthuſiae Buxheimenſis, hujus libri rariſſimi poſſeſſores indicarunt, eoque nomine beatas certatim praedicarunt. Sed nemo, quod ſciam, hunc in finem eadem haec Biblia allegavit, ut illuſtrandis inſignibus typographicis inſerviret. Non equidem latet nos, laudatum antea SCHWARZIVM de libello AVGVSTINI, qui *de vera vitae cognitione* inſcribitur, & qui neque annum editionis neque nomina typographorum, ſed ſola FAVSTI SCHOEFFERIque inſignia prae ſe fert, adeo benigne ſentire, ut illum jam ante annum MCCCCL VIIII. lucem publicam adſpexiſſe ſtatuat. Interim vero, dum conjecturae opinionisque ſuae rationes plenius nos edocuerit, noſtram quoque pro anno MCCCCLXII. ſymbolorum ejusmodi natali ſententiam confirmare ulterius licebit.

Nititur videlicet noſtra adſertio, non modo ipſa bibliorum modo memoratorum inſpectione, ſed & hiſtoriae & vitae Fauſtianae circumſtantiis. Cum enim conatus illius typographici varias haberent periodos, exinde colligi facillime poteſt, qua praecipue occaſione novis quibusdam notarum characteriſticarum generibus libros ſuae officinae adaugere inceperit. Monuit jam PAVLVS PATER in diſſertatione *de typis literarum eorumque differentiis*, p. 74. tunc demum, poſtquam FAVSTI & GVTEMBERGII ſocietas dirimeretur, anno 1455. FAVSTVM coepiſſe

nomine

nomine ſuo libros inſignire & locum & tempus praefigere. Sed habuit certe anno 1462. novam, eamque graviſſimam, cauſam, cur nomini ſuo etiam inſignia ſua adderet. Erat hic annus Moguntiae ſuae fatalis, quo capta fuit & per inſidias expugnata. Atque haec civitatis illuſtriſſimae expugnatio non quidem ſine Numinis ſupremi provida directione evenit, ut inde diſperſi typographiae cultores, antea conjunctis viribus laborantes, cum toto orbe artificium communicarent; FAVSTO tamen neceſſitatem impoſuit, ſua certioribus notis ab alienis diſtinguendi. Quod IOHANNES, PETRI filius, SCHOEFFERVS innuere videtur in fine *compendii Annalium Francicorum Trithemiani*, anno 1515. impreſſi, ita diſſerens: „retinuerunt hi duo jam praenominati, Ioannes Fuſth & Petrus Schoeffer, hanc artem in ſecreto (omnibus miniſtris ac familiaribus eorum, ne illam quoquo modo manifeſtarent, jurejurando adſtrictis) quo tandem (Moguntiâ) de an. Dom. MCCCCLXII. per eosdem familiares in diverſas terrarum provincias divulgata eſt.„ Exſcripſimus haec ex *Catalogi Bibliothecae Vffenbachianae Tomo II. Append. II. pag. 99.*

Quo latius autem innotuit typographiae artificium, eo frequentiores ejusmodi notas in libris, ſequenti aetate editis, deprehendas. Ad quarum intuitum tanta ſe nobis prodit ingeniorum ſenſuumque varietas, quanta eſt capitum. Alii literas nominis ſui initiales, arma alii, alii principum ſuorum inſignia, alii alia, hieroglyphica, hiſtorica, ſacra & profana, notarum ſui characteriſticarum inſtar, libris ſuis imprimi curaverunt.

Et opinatur quidem BERNARDVS A MALLINKROT *in diſſertatione hiſtorica de ortu ac progreſſu artis* „ *typographicae p.* 104. invaluiſſe primum, ut ſignum „ ſuum, ſeu, ut vocant, SCVTVM, QVISQVE appin„ gi rudi ſatis Minerva faceret. „ Pergit ſtatim hic auctor: „ haec magna ex parte hodie intermittuntur, „ in quorum locum certa emblemata & imagines a„ pud aliquos ſucceſſerunt, cujus generis ſunt circinus „ Plantinianorum, Frobenii caduceus etc. „ Quodſi autem ea MALLINKROTO mens eſt, *ſola* ſcuta illa & arma, quae nos Germani *die Wappen* vocamus, a veteribus typographis hunc in finem uſurpata & libris inſculpta eſſe, ut officinae, ex qua prodiere, notae characteriſticae eſſent, omnino fallitur auctor doctiſſimus. SCHOIFFERI, MICHAEL WENSLER, ERHARD REWICH, NICOLAVS KESSLER, ERHARD RATDOLT, FRIEDRICH RIEDRER, MICHAEL FVRTER, vetuſta illa nomina, quae collectionis tuae, ROTHSCHOLTZI amiciſſime, Sectione III. & IV. celebrantur, militare quidem pro MALLINKROTIO videntur; ſed pauciſſima haec veterum inſignium exempla ſunt, teſtibus iterum tuis tabulis, illorum, quae reperiri potuerant, reliquias exhibentibus. Mallem affirmare, ſaepius literas nominum initiales, quam arma, inſignium loco, libris primum excuſis, appicta fuiſſe. Id quod ipſe librorum antiquorum conſpectus quemlibet edocere poteſt. Hae profecto ſimpliciſſimae notae ſunt, quas ipſa tum artis naſcentis ſimplicitas primis impreſſoribus obtulit. Inſcribebantur hae literae plerumque circulo, ſupra quem, rudi ſatis Minerva formatum, deinde lineae tres in crucis forma poſitae cernuntur. Res nullius plane negocii foret, quam plurima ejusmodi exempla heic cumulare.

Diſcrepan-

Diſcrepantiae enim, quas paſſim in numero & ordine linearum, in poſitu literarum, in varietate figurarum, ubi nunc quadrangulo, nunc figurae aliter formatae inſcribuntur, aut in aliis levioris momenti additamentis deprehendas, nullum plane heic in cenſum venire debent. Ita MICHAEL MAITTAIRE, qui inter ſuos non tam notus eſſe poteſt, quam apud exteros celebris eſt, *Annalium Typographicorum Tom. II. Part. poſter.* in una eademque pagina 187. hanc in rem allegavit literas

B. Z. inſigne Bartholomaei de Zanis*
V. S. — Vlderici Scinſcenzeler
A. L. — Antonii Lambillionis
I. T. vel
Z. T. — Iohannis, ſive Zane, de Tridino**
F. M. — Franciſci de Mazalis
B. R. — Bernhardi Rizi de Novaria.

Et quam dives talium exemplorum meſſis proventura eſſet, ſi augendi haec nomina nobis animus eſſet. Tuum theſaurum adeat, qui plura noſſe velit.

Non autem ita univerſalis fuit haec conſuetudo, ut alii typographi, loco talium literarum, nominis ſui indicum, armis ſuis uti noluerint. Cum nulla lege cautum eſſet, qua praecipue nota libri ſignari debeant, diverſae inde, pro cujusvis lubitu, notae adhibitae ſunt. Sed rariora tamen, quod repetendum duxi, rariora omnibus aliis inſignibus, arma ſcutaque typographorum gentilitia occurrunt, licet non negem, ea ſine dubio frequentiora apparitura eſſe,

E ſi tem-

* Locum 53. theſauri Roth-Scholtziani occupat.
** Apud te no. 48. ponitur.

ſi tempore iſto ita vulgaria fuiſſent, uti hac noſtra aetate ſunt. Tum nobilitatis aut aliarum praerogativarum teſtimonia adhuc audiebant. Typographia autem; quam adjuvare & exercere a ſuis primordiis, conſpicuae etiam dignitatis viros non puduit, mox ad inferioris conditionis homines pervenit, quibus arma peculiaria non fuerunt, fingere nondum licuit. Tum quoque primarii artis hujus magiſtri ob inventionis vere divinae novitatem novis etiam titulis augebantur, aliisque nobilium virorum praerogativis ornabantur, quibus deinde & libros ſuos ſuperbire voluerunt, ut ab operibus ignobiliorum officinarum diſtinguerentur. De FRIDERICO III. Imperatore Romanorum notum eſt, optimum principem typographiae cultores mira benevolentia complexum eſſe, nec ſingulis modo varia clementiae Caeſareae documenta indulſiſſe; ſed toti eorum ſocietati, inter nobiliſſimas ſocietates receptae, peculiaria inſignia conceſſiſſe, quae nos diſſertationi huic praefigi curavimus, ſcilicet, ut typographi grypho, inſtrumenta artis geſtante, typothetae vero ſpeciatim aquila, quae alias inſigne Imperii audit, uterentur. Haec in confirmationem prioris aſſertionis appoſuimus. Quo etiam pertinere videtur PETRI APIANI exemplum, qui, ex quo titulos & inſignia equeſtria nactus eſſet, ex illo etiam tempore ſuis iſta libris appoſuit, e typographia domeſtica exeuntibus, quorum inſigne antea juvenis trochleam torquens fuerat. Debemus hanc obſervationem excellentiſſimi SCHWARZII programmati *de vita Petri Apiani.*

Sed neque prior illa ſignorum ſimplicitas, ſolis nominum literis initialibus conſtantium, diu in uſu manſit. Ingenioſus videri cupit hominum animus.

Itaque

Itaque novi aliquid excogitare melius arbitratur, quam veteribus tantum inventis inhaerere. Proh! quam innumerae ſignorum characteriſticorum varietates ex hoc fonte exortae ſunt!

Difficile eſt, cum aliqua veri confidentia recenſere velle, quo ordine, poſt duo jam memorata genera, aliud aliudque inſignium typographicorum genus electum uſurpatumque ſit. Imo vero rem acu proxime tangemus, ſi ſtatuamus, nullum heic ordinem tenuiſſe illos librorum excudendorum artifices. Id tamen rationibus, quas in re aliqua invenienda tenemus, maxime conſentaneum videtur, variationes primas eas cenſeri debere, quae figuras referunt minus compoſitas.

Et illae quidem figurae ſine dubio primae arriſerunt typographis, quae imaginem in nomine ipſorum latentem exprimere potuerunt. Quid erat e. g. Hahnio cuidam Wolfioque, talia ſigna ſibi convenientia inventuris, magis in promtu, quam galli lupique pictura? Ita IOHANNES GRAPHEVS, dextram calamo ſcribentem, a) IOHANNES GRANION, grandes juncos (de grands joncs) ex palude ſurgentes, b) GALIOTVS PRATENSIS, naviculam, quam Galiote vocant Galli, PETRVS PAVLVS PORRVS, qui primum Pſalterium Polyglottum impreſſit, porrum cum duplici litera P. P. c) CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS, ranas, ADAMVS PETRVS, malleum, contundentem petram, SEBASTIANVS GRYPHIVS, gryphum, IOHANNES PVTEANVS, puteum, cui mulier illa Samaritana aſſidet,

a) coll. tuae ſect. XVII.
b) collect. tuae ſect. XI.
c) extat collect. tuae ſect. II. imago vero *Froſchoveri part. I. tuarum iconum.*

[a] FRIDERICVS PEYPVS, qui ſe & ARTEMISIVM vocat, artemiſiam, herbam Germanis *Beyfus* dictam, & ſimiliter ſexcenti alii formas animalium aut arborum, aut rerum aliarum, cum quibus commune nomen gererent, librorum in ſua officina excuſorum aut veneuntium inſignia eſſe voluerunt.

At enim vero illis tantummodo hoc licuit, qui nomine convenienti, quodque pingi poterat, gaviſi ſunt. Ceteri autem neceſſitate ipſa compulſos ſe intelligebant, ne a more recepto recederent, quod nomen denegabat, a peregrinis rebus inſigne mutuari.

Sunt, qui domini, cui parebant, aut regni, quod incolebant, aut univerſitatis vel dioeceſeos vel urbis, cujus tutelae crediti eſſent, inſigne ſuis etiam libris praefigebant. Atque hic mos praecipue fuit typographis Pariſienſibus, qua in urbe res libraria ſemper erat penes Vniverſitatem. Appoſito itaque libris ſuis Vniverſitatis ſymbolo publico, palam profitebantur, uti CHEVILLIERIVS & poſt illum MAITTAIRIVS quoque obſervavit, ſe in Vniverſitatis fide & clientela eſſe. Quidam ibi ſoa Academiae inſignia, alii cum Regis ſcuto conjuncta, ponebant. Nonnulli Regis, Pariſienſis urbis & univerſitatis arma conſociabant, imo quidam urbis, univerſitatis & ſimul Praetoris civitatis Pariſienſis arma jungebant. Praeter Gallos in aliis etiam regionibus idem in uſu venit. Scutum Angliae regium praefixum videas GALENO *de temperamentis* Cantabrigiae 1521. edito. Et FRANCISCVS BIRCKMANNVS, Colonienſis, circa annum 1513. clarus, ſcutum Colonienſe operibus apud ſe impreſſis inſculpere ſolitus eſt; quod etiam Bibliis Germanicis,

a) extat coll. tuae ſect. VII. imago vero *Peypuſiana*, inter *icones bibliopolarum & typographorum part. II.*

manicis, diu ante LVTHERVM Coloniae Agrippinae excuſis, appictum eſſe monet MALLINKROT. *l. c. in additiunculis ad pag. 88.* Refert quoque IO. IMMANVEL MVLLER in ſchediaſmate germanico *de initiis typographiae apud Lipſienſes*, fuiſſe quibusdam urbis hujus civibus morem, ut libris a ſe impreſſis, una cum literis nominis ſui initialibus, etiam inſigne Lipſiae imprimerent, id quod ibi ſpeciatim de CONRADO KACHELOFEN & WOLFGANGO STÖCKEL probatur. Eundem in modum etiam GEORGIVS WACHTERVS inſignibus Norimbergenſibus, a latere ſuorum propriorum armorum poſitis, uſus eſt, referente clar. REVSCHIO, cujus ſcriptum jam allegavimus.

Plurimi vero peculiare aliquod ſignum habere, quam regio ſuperbire malebant. Neque ii, qui auctoritate regia libros ſuos munitos emittebant, ſemper eodem Regis ſymbolo uſi ſunt. Plura hi ipſi opera divulgabant, ſuis tantummodo ſignis privatis notata, quae ſaepius additis lemmatibus illuſtrare placuit.

Luſtranti varias typographicae artis primitias, occurrit mox inſigne typographi, mox, poſtquam hi a typographis ſeceſſionem fecerant, bibliopolae, mox auctoris qui conſcripſerat librum, mox ſociorum, qui officinae librariae manus auxiliatrices praebuere. Qui Venetiis, illa Italiae urbe illuſtriſſima, ſumtibus ſuis juvabat typographos, ibidem magno numero florentes, OCTAVIANVS SCOTVS, MODOETIENSIS, vir nobilis, ſuum etiam* inſigne libris pro ſua pecunia impreſſis imprimi juſſit, REVCHLINI *commentationi de accentibus & orthographia linguae Ebraicae*, quae Hagenoae 1518. prelum reliquit, appoſita

F

* extat coll. tuae ſect. III.

ſita etiam eſt ara REVCHLINI, auctoris inſigne. CHRISTIANVM WECHELVM omnes norunt, qui literas norunt; is autem per aliquod tempus inſigni uſus eſt, quod ſuum non erat, ſed propric SIMONIS SILVII (du bois) qui operam ſuam excuſoriam WECHELO tum commodavit. Atque hoc ſignum aliunde mutuatum retinuit usque ad annum MDXXXIII, obſervante MAITTAIRIO, ex quo demum tempore libros peculiari, quod ſuum eſſet, inſigni notatos in lucem miſit. HENRICVS quoque STEPHANVS heic prodeat, qui eundem morem tenuit, ſociorum ſuorum figuras ſymbolicas libris a ſe editis imprimendi, adeo ut nullum plane ſymbolum peculiare ſibi elegerit, alias, quando & ſociorum ſigna abeſſe voluit, inſignia univerſitatis Pariſienſis libris ſuis praefigens. De ſociorum praefixis inſignibus dum loquor, non poſſum non mentionem facere celeberrimae illius ſocietatis, quae Pariſiis, ad Venetarum aliquarum exemplum, coiit, eo conſilio, ut nonniſi libros bonos & elegantes imprimeret. Elegit ſibi ſymbolum, magnam navem, qua opera ſua notari juſſit, unde ipſa, Societatis Pariſienſis de magna navi, ſive navigerae, nomen accepit. Tantae vero auctoritatis erat haec navigii figura, ut libri ita ſignati, ſtatim ac inſigne in oculos incideret, ſine ulteriore examine, num probi eſſent, vendi legique permitterentur. ANDR: CHEVILLIERIVM ſequor, pag. 325. libri jam ſaepius citati, haec enarrantem.

Vnde vero tam diverſae figurae depromebantur? ita revertamur in viam, a qua paullulum digreſſi ſumus. Cui quaeſtioni ut ſatisfiat, opus modo eſt oculis. Quicquid in orbe fuit, inſtituto huic typographorum favere & inſervire debuit. Coelum

lum ſuas nubes & ſtellas, maria ſuos piſces, terra omne incolarum ſuorum genus, viventium & motu vitali deſtitutorum, inventoribus talium ſymbolorum ſuppeditarunt. Ex priſcis temporum annalibus varias hiſtorias, ut Arionis á delphino in undis ſervati; ex ſacro bibliorum codice varia lemmata, tum Graeca, tum hebraica, tum latina, & varias itidem hiſtorias, uti putei, juxta quem mulier Samaritana cum Christo collocuta eſt, Eliae in coelum vecti, quem Abrahamus Wagenmannus, Norimbergenſis, elegit; imo ex imaginatione ſua, Mariae & Annae, quas duas prae ſe fert Virgilii Aeneis, excudente Theodorico de Borne edita Daventriae 1516. aliorumque beatorum coelitum imagines &, quod forte miraberis, Angeli Gabrielis iconem, quae Vincentio de Portonariis placuit, Lugduni 1507. repetebant.

Mox invaſit librarios cupido, pro imaginibus aenigmata pingere. Decrepita jam dudum Aegyptiorum ambitio, qui ſibi non ſapere videbantur, niſi hieroglyphicis figuris loquerentur, nunc reſurgens, typographias etiam, invento recenti ortas, occupavit. Emtores quaerebantur Oedipi, vel potius, qui, licet Davi fuerint, Oedipos tamen typographos haberent, ſymbolorum tam argutorum auctores. Volvi incipiunt priſca antiquitatis monumenta. Dii Deaeque gentium nova quadam ſuperſtitione lectoribus colendi & cum quadam admiratione adſpiciendi proponuntur. Qui inſigne typographicum prae manibus habet, aras videt, caduceos, ſphinges, ululas, olivas, Minervas, tricipites Mercurios. Novitium, inquit Mallinkrot, „ p. 102. admodum hoc inſtitutum eſt, & noſtra de- „

„ mum memoria uſurpari coeptum, ut nempe vix „ alicujus nominis & pretii liber exeat, qui non chal- „ cographicarum imaginum emblemata praeferat; ſed adeo novitium, etiam MALLINKROTIO, haec anno MDCXXXX. ſcribenti, non poſſe hunc morem dici, vel ex ipſo ALDI ſymbolo emblematico ſatis apparet. IOHANNES ARNOLDVS BERGELLANVS, cujus *poëma encomiaſticum de chalcographiae inventione*, non modo WILHELMVS ERNESTVS TENZELIVS, *Bibliothecae curioſae Part. I. pag. 986. ſeqq.* ſed & celeb. GEORGIVS CHRISTIANVS IOANNIS, *Scriptorum Hiſt. Moguntin. Tomo Novo pag. 421--440.* integrum inſeruit, jam anno MDXXXXI. ſequentem in modum cecinit:

Vendicat ac praeſens aetas inſignia libris,
& prima facie conſpicienda locat.
Sphingis & adhaerent variis aenigmata linguis,
ſolvere quae ſolers Delius ipſe nequit.

Opus fuit typographis, qui ſenſim ſenſimque a prima ſuae artis cultorum doctrina diſceſſerunt, eruditos alios ſub fide ſilentii (nam turpe foret inventionis gloriam publice alii auctori relinquere) implorare, ut ſuppeditarent emblema aliquod & oculis favens, & meditandi materiam ſubminiſtrans. IOHANNI OPORINO, ANDREAS VESALIVS auctor ſuaſorque fuit, ut Lesbium illum ARIONEM, delphino vectum, ſuis libris, ſymboli loco, praefigeret. Audiamus CLAVDIVM MINOEM, qui apud CRVSIVM *ſymbolothecae doctae* p. 10. narrat, AEGIDIVM BEYSIVM, generum PLANTINI, cum ſymbolum ſibi peculiare ac proprium quaereret, ab ipſo MINOE ſibi id expetiiſſe, ut excogitaret aliquod, quod aliis

aliis ita commune non foret: tum illi ſertum* albi lilii commendatum fuiſſe, cui adderet Poëtae hemiſtichium: caſta placent ſuperis. Ita ipſi ALDO hieroglyphicum ſuum a PETRO BEMBO, poſtea inter ſedis Romanae patres purpuratos locum adepto, ſuppeditatum eſt. BEMBO, enim acceptum ferebat numum aliquem TITI VESPASIANI argenteum, qui ex una parte TITVM, ex altera delphinum anchorae circumtortum retulit, quam figuram in libris Aldinis conſpicere licet.

Bene eſt, quod plerumque certa his imaginibus lemmata addidere, quae adjuvant ſpectatoris intelligentiam; licet & heic aliquando haeſitet animus, quam interpretationem auctor ipſi ſuppeditare velit. Sunt tamen inter haec emblemata, quae mire conveniunt viris, quibus attribuuntur. CHRISTOPHORI PLANTINI circinus cum erudita gnome: Labore & conſtantia; laboris patientiam, quae PLANTINO inerat, egregie contemplandam ſiſtit. Non igitur improbandam penitus arbitramur hanc conſuetudinem, modo ne leges artis & convenientiae, exempla ejusmodi transgrediantur.

Non plane ſilentio praeterire poſſum, fuiſſe, qui, laudum ſuarum memoriaeque non moriturae cupidiores, aliorum inſignium loco, ſuam ipſorum, imo & auctoris, imaginem, ligneis formis expreſſam, vel praepoſuerint vel in fine adjecerint libris officinae ſuae; ut ſcilicet caput, ingenii tam artificis domicilium, poſt fata quoque in hominum oculis ſemper verſetur, utque digito monſtrari abſentes etiam poſſint, & dicier: hic eſt! Cujus moris exempla nominare poſſum ex ſaeculo potiſſimum XVI. GEORGIVM

G

* extat hoc inſigne coll. tuae Sect. I.

GIVM RHAVVM, GIMEL BERGEN, VRBANVM KAVBISCH, vel GAVBISCH & CHRISTIANVM EGENOLPHVM,* quem tamen poſtremum haeredes demum poſt illius mortem libris ſuis appingi fecerunt.

Si ad ſequiorem & noſtram aetatem jam accedere propius animus eſſet, id praecipue obſervandum foret, inſignia typographorum magis magisque a libris abeſſe juſſa eſſe, in quorum locum ſoli jam bibliopolae notis ſuis ſignare eosdem ſolent. Impendit nunc ſaeculum noſtrum nimiam fere operam cumulandis & varie exornandis, ne quod vacuum relinquatur, figuris ejusmodi. Ecquis omnem totius rei literariae conſpectum inſignibus librariis exhiberi deſiderat? cui uſui tam prolixae omnium rerum, quae literis Muſisque olim dicatae erant, picturae fuerint? Auſim ſpondere, nam experientiam teſtem habeo, plurimos jam bibliopolas neſcire ipſos, quid ſibi velint notae bibliopolii ſui nimium cumulatae. Non ſemper habemus ROTH-SCHOLTZIOS, qui & invenire talia, & commode explicare poſſunt.

Ad veteres redeo, quorum inſignia poſtquam in ſua genera retulimus, dictis nunc quoque id adhuc addendum eſt, quo librorum loco & quam ob cauſam eadem appoſita fuerint. Quem jam nominavimus, GEORGIVS FRID. MAGNVS, Bibliorum Germanicorum editionem, Auguſtae Vindelicorum excuſam, ibidemque aſſervatam, diſerte negat anno 1449. impreſſam eſſe, licet haec anni nota, armis hodie ignotis adſcripta, ibidem conſpiciatur. Hoc autem is inter alia nititur argumento, quia videlicet alieno

* inſertae ſunt hae imagines quatuor tuae etiam collectioni, qua *icones bibliopolarum* exhibes, RHAVII quidem Parti I, BERGENII vero Parti III, GAVBISCHII, & EGENOLPHI denique parti II.

alieno prorſus loco, quam ſuo, quo typographi libros notare conſueverant, illa anni nota illudque inſigne compareat. Ergo obſervatu utique dignum fuerit, quem in locum veteres librorum inſignia poſuerint.

Sub calcem libri primitus collocabantur. Qui mos fuit antiquis, non niſi abſoluto opere nomina ſua adſcribere volentibus. Quemadmodum in Muſica veterum, in fine demum videbatur, cujus toni canticum fuerit; ita & primis officinis typographicis ſolenne fuit, in fine demum codicis & nomen & ſignum editoris exprimere. Non tamen hoc ita intellectum volo, acſi poſtrema plane pagina has notas inſcriptas ſemper habuerit. Quandoque & in ea pagina, quae primariae libri parti ultima fuit, ſignum typographicum, clauſulae loco, adjectum cernitur, licet alia adhuc typis impreſſa ſtatim ſequantur. Exemplum, quod hanc in rem allegare poſſumus, valde memorabile nobis in promtu eſt. Rariſſimum illud *vocabularium EHERHARDI DE SCHVEREN, Cancellarii Ducis Cliuienſis*, Coloniae anno 1477. per ARNOLDVM THER HORNEN (ORLANDVS hunc typographum male TERBORNEM vocat) impreſſum, in fine oſtendit inſigne THERHORNII, alias non ita facile obvium, quod heic quoque pictum exhibere placuit;



ſed excipiunt hoc inſigne mox adhuc alia ad vocabularium Schuerianum pertinentia, & appendicis loco appoſita, termini nimirum graecorum cum verſione, itemque & liber de partibus indeclinabilibus. Quam notam ut heic adjicere poſſemus, fecit communicatio libri e bibliotheca Schwarziana ad nos benevole transmiſſi.

Poenitere coepit typographos hujus moris, ex quo titulorum, primae ſtatim paginae impreſſorum, commoditas innoteſceret. Id circa annum MDX. contigiſſe Michael Maittaire obſervavit, qui: ſo-„ lebant, inquit, illorum temporum chalcographi in-„ gentem, quem primi omnino neglexerunt, titulo-„ rum apparatum, librorum ſuorum veſtibulis indu-„ cere, & illa non modo typographicis inſignibus „ ſymbolisque ac multiplici diverſarum figurarum & „ emblematum varietate, ſed ſolenni inſuper admix-„ ta cumulatorum verborum pompa, faſtoſisque, „ quibus lectores allicerent, praefatiunculis adimple-„ re. Deinceps autem paullatim hac ſermonis cir-„ cuitione abſtinentes titulis ſimplicioribus adſueve-„ runt. Quid ſi dicamus, Roth-Scholtzi humaniſſime, morem hunc adhuc antiquiorem eſſe. Teſtatur Catalogus Bibliothecae Vffenbachianae Tom. II. Append. II. p. 16. 17. reperiri in eadem Conſtitutiones Clementis Papae V. conſummatas „ MCCCCLXXI. per Petrum Schoiffer de Gernshem, „ quarum primum folium non modo figuris, colori-„ bus atque auro exornatum, ſed ipſius Clementis „ Papae, Conſtitutiones exarantis, effigie, mira, pro „ ſeculi inprimis ruditate, elegantia depicta, decora-„ tum eſt.„ Valentinvs etiam Ernestvs Loescherus, venerandus Saxoniae Electoralis theologus, in *Stromateo p. 285.* ex αὐτοψίᾳ docet, titulos libris ſeparatim praefixos jam anno 1486. reperiri, cum in praecedentibus libris titulus aliquando praepoſitus ſit, ſed non ſeparato folio, aut cum aliqua pompa, ſed obiter, initio praefationis aut poſt illam.

Itaque primam nunc, quae antea ultimam occuparant paginam, ornare coeperunt inſignia; licet quando-

quandoque etiam in primae paginae facie altera & averſa collocata fuerint. Conſuetudo tamen diu inveterata cum honore quodam ſepelienda fuerat. Non ſtatim ac tituli figuris inſigniri amabant, poſtremae ſimul paginae omni nota deſtitutae relinquebantur. Dignum utique notatu cenſeo, ſupereſſe adhuc plures libros, qui & in titulo & in calce ſymbola diacritica gerant. REVCHLINI ſive CAPNIONIS libros de accentibus & orthographia linguae hebraicae 1518. excuſos jam nominavimus, atque eorum mentionem iterum facimus, quia & initium & finis ſuo ſe effert ſymbolo & ornatu. Initium oſtendit aram CAPNIONIS, auctoris; finis ſignum THOMAE ANSHELMI, Badenſis, librarii, literas videlicet nominis initiales cum angelis duobus & vocibus ΙΗΣΟΥΣ יהוה. Apud MAITTAIRIVM aliud exemplum occurrit. Refert enim *Annal. Typ. Tom. II. part. poſter. p. 683.* LAVRENTII VALLAE elegantiarum libros ſex, qui prodiere Antverpiae 1526. (error enim typographicus eſt, quando ibidem legitur annus 1625.) primum ſigno gallinae, pullos ſub alis congregantis, notari, quod ſignum erat typographi, IO. TIBALDAEI; ad finem vero ſignum aliud apponi FR. BIR. cujus impenſis impreſſi ſunt, comite ſequenti ſententia: fortuna cum blanditur, tum vel maxime metuenda eſt. Idem p. 85. vidiſſe ſe fatetur DIOGENEM LAERTIVM, absque anni nota in forma octava impreſſum, gerentem inſignia IO. PARVI, typographi, in principio; in fine* GVIDONIS MERCATORIS. ** CHRISTOPHORI PLANTINI inſigne primae librorum ſuorum, atque etiam ultimae

 paginae

* extat coll. tuae ſect. IX.

** quod exhibes ſect. V. PLANTINI vero imaginem protuliſti *iconum bibl. & typ. part. I.*

paginae appoſitum videas, quod ipſe CAILLIVS annotat, aliàs de inſignibus typographicis parum ſolicitus; qui vero etiam plures, eundem morem tenentes, * FROBENIVM alioſque nominare heic potuiſſet.

Quid autem in cauſa fuerit, cur omnino talia ſigna libris imprimerentur? inquirenti mihi, non alia certior nominanda venit, quam, ut varia diverſorum typographorum opera, charactere quodam peculiari a ſe invicem dignoſcerentur. Augebat libri pretium, ſi ex accurata officina & celebri lucem adſpexerat. Vt citius diſtraherentur & pluris aeſtimarentur ſcriptorum editiones, primarii primum artis magiſtri ſuo libros ſymbolo notare inceperunt. Antequam arcana typographiae ratio pluribus regionibus innoteſceret, ne nomen quidem impreſſoris aut impreſſionis annum adjecta operibus excuſis videas. Superfluum erat, ab aliis diſtinguere velle, cum non eſſent aliae editiones, a quibus diſtingui aliquid deberit. Invaleſcente vero aemulorum numero non amplius nominis annique expreſſa ſubſcriptio ſufficere videbatur. Tunc ſymbolum quoque addi peculiare coeptum eſt, qualia forte temporum iſtorum nondum ſublata ruditas difficilius, quam literas ipſas, imitari potuit. Certe haec mens fuit BENEDICTO HECTORI, typographo Bononienſi ſatis claro, cum libros ſuos ſuo etiam inſigni notaret. Audiamus ipſum, ſui animi ſenſa exponentem in epiſtola ad lectorem, IVSTINO & FLORO, qui ex officina ejus anno MDV. prodierunt, conjuncta. Emtor, ait, attende, quando vis emere libros formatos in officina mea excuſoria. Inſpice ſignum**, quod in liminari pagina eſt, ita nunquam falleris. Nam quidam

* vid. ſect. tua VI.

** extat, coll. tuae ſect. XII. & IV.

dam malevoli impreſſores libris ſuis inemendatis & „ maculoſis apponunt nomen meum, ut fiant vendi- „ biliores.„ Iosva Badivs eundem in modum monet lectorem in titulo emendati abs ſe Calepini, anno MDXVI. Oratum, inquit, facio lectorem, ut ſi- „ gnum inſpiciat. Nam ſunt, qui titulum nomen- „ que Badianum mentiantur & laborem ſuffurentur. „ quae verba Chevillierivs p. 208. 209. ex illo jam repetiit.

Commodiſſima hunc in finem videbantur arma & ſcuta gentilitia, ut revera armati comparerent codices contra invaſores, honori & lucro auctoris editorisve derogare aliquid cupientes. Vti literas ad amicos ſcriptas ſigillo noſtro obſignare ſolemus, ne aliis pateant; ita inſignibus typographorum obſignati libri antiqui ſunt, ne quis oculus avarus, ne qua manus invida eosdem invaderet. Noſtra hac aetate comparere coeperunt libri quidam, quorum ſingula exempla, auctoris ſigillo, cerāe, quam hiſpanicam vocant, impreſſo, plane uti literae obſignantur, ſignata videas. Eadem vero, quae his recentiſſimis auctoribus, etiam veteribus mens typographis fuit, cum ſua inſignia libris imprimerent. Quin & hac ipſa formula uſi ſunt. Index librorum Schwarzianorum, ſaeculo XV. impreſſorum, Actis Franconicis Eruditis & Curioſis inſertus, decretum Gratiani refert, MCCCCLXXXI. editum, quae editio in haec verba deſinit: Michael Wensler *ſuis conſignando armis* feliciter conſummavit. Ita Annaebergae aſſervatur Decretalium liber VI. ad cujus calcem itidem comparet inſcriptio: In praeclariſſima urbe Baſilienſi, ingenio & arte Michaelis Wenslers impreſſum, glorioſo favente Deo, *ſuis conſignando ſcu-*

tis feliciter eſt finitum, anno domini ſeptuageſimo ſeptimo poſt milleſimum & quadringenteſimum, quarto ydus decembris. Quod nuper ex clar. viri, CHRISTIANI GOTTHOLDI WILISCHII *arcanis bibliothecae Annaebergenſis* edocti ſumus. Ibidem formula haec repetitur, ex BERNARDI Claraevallenſis ſermonibus, cujus libri clauſula ita ſe habet:

A. Nativitatis Chriſti MCCCCLXXV. decima quarta die menſis aprilis in nobili urbe Moguncia non atramenti calamo cannave, ſed artificioſa quadam adinventione imprimendi ac caracterizandi ſermones hos beati bernardi abbatis clarevallenſis cunctipotenti annuente Deo Petrus Schoyffer de Gernsheim *ſuis conſignando ſcutis* feliciter conſummavit.

Simile exemplum adducit SCHELHORNIVS, *amoenit. liter. T. IV. p. 302.* ut alia taceamus.

Nefas ſemper habitum fuit, res appoſito ſigillo munitas violare. Itaque ne quis turbaret eorum circulos, inſignibus ſuis ſolenni more appictis monebant librarii. Et cum Regum principumque inſignia plus ſemper auctoritatis habeant, ideo & haec inſcripta libris conſpiciuntur, iſtis potiſſimum, quorum pretio & honori conſulere domini voluerunt. Pariſiis inſuper expreſſo ſuperiorum decreto cautum fuit, ne quis alterius inſigne uſurparet, ut ſcirent emtores, ex qua officina liber, quem forte deſiderabant, petendus eſſet. Memorabile quoque eſt, quod ex viro ſumme reverendo & de noſtris quoque ſtudiis optime merito, GVSTAVO GEORGIO ZELTNERO, & ejus praecipue commentariis *de vita Io. Lufftii*, didicimus, Wittebergenſes typographos circa annum MDXXXVIII. libris theologicis praefixiſſe quinque theolo-

theologorum ſuorum inſignia, LVTHERI, PHILIPPI, IO. BVGENHAGII, IVSTI IONAE, CASPARIS CRVCIGERI, ut ſcilicet cum approbatione non tantum, ſed & auctoritate horum virorum muniti prodirent. Editio bibliorum germanicorum Wittebergenſis de an. MDXXXXVI. ut forte eo fortius deterreret homines avaros ab iterata eorum ita correctorum impreſſione, ſtatim in titulo libri, XIV. inſignia, in circulo poſita, exhibet, quae poſtea ſequitur electoris IO. FRIDERICI imago, referente iterum ZELTNERO p. 50.

Peculiaris illa ratio eſt, quam IACOBVS MENTELIVS in paraeneſi ad MALLINKROTVM, *de vera typographiae origine*, Pariſiis edita MDCL, libro iterum ex inſtructiſſima Bibliotheca GODOFREDO-THOMASIANA noſtris uſibus conceſſo, effingit, ut ſcilicet inventionem typographiae genti ſuae vindicet, & novo quodam colore hanc ſententiam pingat: nepotem IOHANNIS MENTELII in fronte multorum, typis ornatorum a ſe, voluminum ipſa MENTELII inſignia propoſuiſſe, quibus ipſum & poſteros ob inventam typographiam honoraverit FRIDERICVS III. Romanorum Imperator; ut Io. SCHOEFFERI temeritatem cum vanitate conjunctam oſtenderet, deridendam propinaret atque traduceret, totusque demum, quo exemplaria ejusmodi perveniſſent, addiſceret orbis, * IO. MENTELIVM coronam ac pennas in ſcuto gentilitio praeferre, in ſignum reportatae ſuper omnes victoriae, atque in auctoramentum ſtupendae iſtius ac incredibilis ſcribendi inventionis.

Sed, miſſis his MENTELII figmentis, quis fraudi ſuos limites ponat, ab hominibus lucri cupidis non

I transſi-

* IO. MENTELII imaginem pictam videre licet inter *icones* tuas *bibliop.* & *typograph. Part. I.*

tranſſiliendos? Nonne & haec ſigna a perito artifice clam poterant delineari & aliis, diverſiſſimis longe, editionibus praefigi? Ita legitimi illi impreſſores, inſignibus principum ſuorum primae librorum paginae impreſſis, cum allicerent alios librarios, haec etiam inſignia ut imitarentur, re ipſa eosdem adjuvarunt, ut eadem principum auctoritas, quam prae ſe tulerunt, vendendis iſtis ſuppoſititiis partubus magis inſerviret. Experientia mox edocuit, ſigna aeque ac ſola librariorum nomina minus reverenter haberi a falſariis. Memorari hac occaſione meretur exemplum iniquiſſimae ejusmodi fraudis, in ipſius Aldi Manvtii merita injuriae. Is, uti a nobis jam obſervatum eſt, libros, qui prelum ſuum exercuerant, delphino anchoram implicante notare ſolitus fuit. Fallitur vero, ſi quis delphinum talem ſemper Aldinum opus probare arbitretur. Franciscvs Asvlanvs jam ſuo tempore refert, fuiſſe Florentiae impreſſores quosdam, qui libris in ſua officina formatis notam Aldinam apponebant. Sed ita hi res ſuas geſſerunt, ut fraus cuilibet pateret, in libris Aldinae impreſſionis vel mediocriter verſato. Nam roſtrum delphini in partem ſiniſtram vergit in Florentinis iſtis operibus, quod tamen in genuino Aldi ſymbolo in dexteram anchorae partem demittitur.

Latere igitur jam olim typographos non potuit, non abſterreri his larvis impoſtores, imo reddi audaciores. Retinuerunt equidem morem & ad ventura quoque ſaecula propagarunt, libros ſuos characteribus propriis inſigniendi; ſed non amplius hunc in finem, ut intacti & ab aemula ὁμοτέχνων invidia tuti relinquerentur. Qui prius character libri erat, poſtea merus ornatus audire coepit. Qui fieri potuiſſet,

ſet, ut librarii ſua ſymbola toties mutarent, & aliud aliudque ſingulis fere libris imprimerent, ſi credidiſſent, talium ſignorum praeſentiam lectores certiores facere poſſe, quinam huic, quinam alii artifici tribuendi codices ſint. Adeo nempe varii & mutabiles erant eo tempore, ut ſigna, quae hodie mire placuerunt, brevi, quia nova eſſe deſierant, ſpernerent, brevi iterum, quaſi immerito contemta, in ſcenam producerent. Vbi neſcio an quis SIMONIS COLINAEI inconſtantiam hac in parte ſuperaverit. Debuerat is primum ſtatim ſymbolum ſibi Vertumni Proteive imaginem eligere, quem ille utique moribus ſuis referebat. Quoties autem* inſigne mutaverit, recenſet MAITTAIRIVS *Annal. typ. Tom. II. part. poſter. pag. 396.* qui idem celeb. MAITTAIRE aliorum quoque typographorum, Pariſiis viventium, variationes in librorum ſuorum inſignibus conſpicuas diligenter annotavit in opere erudito, atque apud nos rariori, quod *typographorum aliquot Pariſienſium vitas & libros* complectitur, editum Londini MDCCXVII. 8vo.

Abſtineo a recenſione plurium exemplorum, his COLINAEI veſtigiis inſiſtentium. In probanda univerſali fere conſuetudine quid opus eſt verbis? Accedat modo, qui haec penitius noſſe cupit, accedat propius ad Bibliothecas, quae ejusmodi librorum, antiquitate ſua ſe commendantium, collectiones ſervant. Veniat, videat & nobiſcum conſentiet. Nullam certe typographi, libros ſuos ſignaturi, legem ſequebantur, ſed pro ſolo lubitu heic agebant, modo retinebant vetera, modo nova apponebant inſignia.

I 2 Non

* aliquod quo uſus eſt ſignum exhibet ſect. VIII.

Poterant mutare ſymbola ſua, quando libitum fuiſſet, & quoties novo cuidam operi edendo ſe accingerent. Eo nimirum jam tum devenerant ſigna libraria, ut omni auctoritate diſtinguendi vel homines fraudulentos coërcendi carerent. Addi poterant & omitti, mutari vel aboleri penitus, ita ut rei librariae nihil exinde vel accederet commodi, vel decederet.

Iuvat interea, etiam haec obſervaſſe. Grata nobis librorum inſignia eſſe debent, quae omnia ſtudioſe excogitata, ſimul & de ſingulorum librariorum indole, moribus, ingenio, teſtimonium perhibent. Non autem grata tantum, ſed & neceſſaria & utilis futura eſt Tua, vir amiciſſime, collectio. Hiſtoria typographica, cui excolendae aetas noſtra grande ſtatuit pretium, non exiguam ex horum inſignium inſpectione atque inter ſe comparatione lucem foeneratura eſt. Ita FRIDERICVS IACOBVS BEYSCHLAGIVS, vir clariſſimus mihique jam ab annis vitae meae Academicae, cum Altorfii ſimul uterque ſtudiis operam dabamus, aeſtimatiſſimus, in *ſylloge variorum opuſculorum*, communi doctorum plauſu excepta, Tom. I. pag. 415. ex inſigni* Brubachiano, quod antea SECERII fuerat, argumentatur, BRVBACHIVM in eadem officina SECERII ſucceſſorem fuiſſe. Neque etiam in tanta literarum, quae nos hodie circumfulget, luce ſatis eſt erudito, diverſarum tantummodo officinarum diſcrimen noſſe, niſi & diſcere allaboret, quod ſingulis librorum editionibus proprium ſignum ſit. Etiamſi mutaverint ſubinde typographi pariter & bibliopolae ſua inſignia, decet tamen nos, intelligere, quo praecipue inſigni hic vel ille ſcriptor editus ſuper-

K biat,

* extat coll. tuae ſect. XIII.

biat, & ſub quo ſigno prodierit. Sane, ſi dignum eſt ingenuo homine, quod nemo negaverit, in ornamenta codicum veterum manu calamoque ſcriptorio exaratorum diligentius inquirere, eandem quoque laudem merebitur moleſtus eorum labor, qui ornamenta librorum, ab inventa typographia excuſorum, nobis deſcribere & exhibere, imo in una quaſi tabula depicta ſiſtere annituntur. Cum clar. MAITTAIRIVS librum ſuum *de Stephanorum hiſtoria*, lectori ſtatim in limine non melius quam expreſſis aere STEPHANORVM* inſignibus ſolitariis commendare ſe poſſe judicaverit; non opus profecto eſt, commendare uberius copioſam ejusmodi inſignium farraginem velle, quae omnes, quo doctiores & ad elegantiora ſtudia excolenda aptiores ſunt, eo magis delectare poterit.

Gratulor tibi, iterumque gratulor, vir pereximie, qui primus haec jam praeſtare incipis. Ita erudito orbi materiam ſubminiſtras, ORLANDVM & augendi & corrigendi, qui tamen reliquis, ipſum antegreſſis, palmam in hoc argumento praeripuit. Cumque hac tua induſtria memoriam tot celebrium bibliopolarum & typographorum reſuſcites, haud vanus auguror, ſemper fore poſteros, quibus grata tua memoria futura ſit.

Vnicum fortaſſis aliqui in his tuis tabulis deſiderabunt, quod videlicet nuda ſigna compareant, ſine omni, quae explicare inventorum mentem debebat, illuſtratione. At vero huic defectui ipſe jam remedium paras, cum propediem, dummodo mille ejusmodi inſignia ita recuſa fuerint, non modo indices utiliſſimos, primum typographorum & bibliopolarum

* quae omnia, quotquot habet MAITTAIRIVS, exhibet quoque tua collectio ſect. V. & XIII. & XXI. XXII.

rum, ſecundum locorum, tertium chronologicum; ſed & inſignium explicationem peculiari ſcripto additurus es. Neque autem aegre ferre eruditos deceret, ſi cujusvis ingenio arbitrioque explicanda haec inſignia relinquerentur; quandoquidem conjecturis maximam partem heic agendum eſt. Pauciſſimorum explicationem ſymbolorum ejusmodi, hinc inde in variis commentariis diſperſam videas. Rariſſime obſervare licet, virum aliquem eruditum inſigni alicui typographico illuſtrando operam dediſſe, uti THEODORVS IANSSONIVS AB ALMELOVEEN *in vitis Stephanorum*, p. 7. ſymboli quoque, quod ſibi elegerant, ſenſum explicuit, & vener. ZELTNERVS inſigne* Lufftianum interpretatus, imo, quod ipſe non diffiteri videtur, interpretari auſus eſt. ALDVS ipſe ſymboli ſui, variis interpretationibus obnoxii, & ab ALCIATO in emblematibus longe aliter explicati, rationes in epiſtola peculiari ad ALBERTVM PIVM, Carporum principem, exarata, qua eidem ARATVM, cum THEONIS ſcholiis, & PROCLI ſphaeram dedicat, indicavit, ſequentem in modum diſſerens: ſemper habeo co- „ mites (ut oportere ajunt) delphinum & ancho- „ ram, nam & dedimus multa cunctando, & damus „ aſſidue. „ Hoc ipſum ALDI inſigne IOACHIMVS CAMERARIVS in *ſymbolico Cent. IIII. embl. IX.* Aldinum ſimul & Frobenianum (quod CLAVDIVS MINOS, licet ERASMI veſtigia praecederent, minus intellexit) ERASMVS, vir immortalis famae, in Adagiis ſuis explicavit, ſub titulo: de feſtinatione praepropera. Vtinam & aliorum ſymbola ERASMVM commentatorem nacta eſſent! Vtinam ſinguli librarii ſingula, quae ſua ſunt, illuſtrarent! cum quilibet verborum ſuorum atque inven-

 tionum

*extat. coll. tuae ſect. X. imago autem LVFFTIANA *iconum part. I.*

tionum optimus ſit interpres. Tu, ROTH-SCHOLTZI, quam & inveniſti, teſſeram Tauberianam ita illuſtraſti. Vtinam tuum exemplum vel hodierni tantum bibliopolae ſequerentur! Macte interim virtute tua, nec deterrere te patere a propoſito jam antea laudato, argumenti nondum plene tractati difficultatem. Tenes jam GEORGII ANDREAE VINHOLDI, viri eruditiſſimi, &, ſi quis alius, in his ſtudiis verſatiſſimi, curas. Tenes MICHAELIS ROETENBECCII emblemata, ut ab his etiam adjuveris. Vtere CLAVDII MINOIS labore, atque inhaerens veſtigiis, quae adhuc preſſiſti, propitiam ſemper fortunam expecta. Laetaberis proxime novo quodam, eoque pulcherrimo, partu, quem officina tua libraria emiſſura eſt, nimirum *Lexico Bibliopolarum biographico*, omnem fere rei typographicae notitiam complexuro; quam felicitatem Tibi impenſe gratulor. Faveat modo ſummum, quod omnia moderatur, Numen, ut mox & *Bibliotheca omnium ſcriptorum de re libraria & typographica in diverſis linguis tam editorum quam ineditorum*, opus harum deliciarum ſtudioſis maxime neceſſarium, & ab exteris jam cupide expectatum, te procurante in lucem prodire poſſit. Ita perges de re literaria optime mereri, hoc itinere ad exoptatam Tibi nominis celebritatem graſſaturus Vale,

DABAM D. XVII. SEPT. M. D. CCXXX.

M. GEORGII ANDREAE VINHOLDI (a)
SCHOLAE QVAE CYGNEAE EST
RECTORIS MERITISSIMI

PROGRAMMA

DE
QVIBVSDAM NOTIS ET INSIGNIBVS
BIBLIOPOLARVM ET TYPOGRAPHORVM.

CVRA
FRIDERICI ROTH-SCHOLTZII
HERRENSTADIO-SILESII.

FUerit fortaſſis non ingratum lectori, oblata hac occaſione, notas quaſdam Bibliopolarum & Typographorum, quibus opera ſua ab aliis diſtincta eſſe voluerint, vel levi brachio tractatas ac recenſitas cognoſcere. Quocirca ſequentes, potiſſimum e forulis Bibliothecae noſtrae, nunc communicabo.

GEORGII ANGELIERII, *Veneti*, Truncus arboris ſacrae, iſque fractus, ex quo ramus aureus propullulat, addita interpretatione: *Simili frondeſcet virga metallo*, Aen. Virg. L. 6. pertinet ad celebrandam DEI gratiam & providentiam, piorum damna novis reſarcientem fortunae muneribus. Nunquam viduam Sareptanam gemellar, ſeu olla olearia defecit: neque Diſcipuli Chriſtum ſecuti unquam aut usquam fame contabuerunt. Ejusmodi ramum aureum Aeneae decerpendum Sibylla Cumaea commendaverat, cum patrem Anchiſen viſurus apud inferos, regnum Proſerpinae adire vellet. Neque ante atra Ditis umbracula fas erat accedere, quam

L tale

(a) Siehe das neu-eröffnete *Muſeum*, Sechſte Oeffnung, 8. Leipzig, 1715, *pag.* 524. *et ſeqq.* alwo dieſes *Programma recenſiret* worden.

tale munus infernae matri oblatum eſſet. Proinde & inventor hujus ſymboli videri poterit ad ſuam ſortem oculos intendiſſe, quando â tenui initio ad majora incrementa rerum ſuarum ſubinde progreſſus, largientem DEI manum opulentiamque expertus eſt. Obiter notetur, quod idem ramus, ſed in figuram literae Pythagoricae, h. e. y diductus, ſtemma gentilitium Baborum in Gallia praefert, ad ſcripto lemmate: *Labore parta gloria.*

Henrici Barentii, *Amſtelodamenſis*, Libra in aequilibrio poſita, cujus ad lancem alteram vox, *Credit*, ad alteram, *Debit*, i. e. Creditum & Debitum, aut in numero multitudinis, Credita & Debita. Indicant ſententiam duae voces Belgicae: Ghelyckheit bevredicht, Gleichheit befriediget. Triplex poteſt eſſe ſenſus; vel quod aequalitas, juſtitiae ſoboles, pacem & tranquillitatem inter homines conciliet; vel quod animus hominis facile vacet quiete, ſicubi inter Credita & Debita intercedat diſparitas, ita ut debitorum magnitudo excedat credita ſeu facultates opum; vel quod tantum debere creditori debeamus, quantum nobis credidit, adeoque inter utrumque juſta proportio requiratur: ne diminuendo vel negando creditum, alteri faciamus injuriam; ex quo deinde pax generis humani & ſocietas turbetur.

Aganthandri Perſeus cum capite Meduſae, Aegide Palladis & gladio Mercurii depictus, ita quidem, ut angues Meduſaei in homines effuſi, ſtuporem incutiant, ſapientiam pulchro eloquentiae acumini adjunctam ſignificat. Quanquam inſcriptio: Ἐκ πόνου κλέος, *ex labore gloria*, in aliam deflectat ſententiam.

Ga-

Gabrielis Buonii, *Pariſienſis*, Bias, antiquiſſimus Graeciae Philoſophus, qualiter vix palliolo indutus, patriam Prienem relinquit, animum ſua ſorte contentum, atque in rerum omnium inopia tutum tamen & firmatum ſatis virtutum praeſidiis prae ſe fert, Deſudet licet orbis, currat, properet, anhelet, rapiat, colligat; mihi ſemper illud eſt viſum ſapientiſſimum, abjecta mundi ſarcina, quod & St. Bernhardo placuit: Omnia habet, qui omnia habentem DEVM habet.

Pavli Frellonii, (a) *Lugdunenſis*, Aranea muſcae inhians, cum vocula imperante: *Matura*, fugam, hoſte inſtante, maturandam, cautionemque ac vigiliam coram adverſario adhibendam praecipit; quaſi cum Virgilio ſecure indormientem periculo ſuo excitatura fuiſſet: Heu fuge, nate Dea, teque his, ait, eripe flammis; Fuge, nate, propinquant (hoſtes) eſt enim muſca araneae valde inviſum animal.

Gvil. Rovilii, (b) *Lugdunenſis*, Serpens fruticibus ſe inſinuans, & in aquilam, roſtro tenentem coronam, eniti laborans, ut enarratio ipſa habet: *Rem magnam ſibi promittit prudentia*, indicat maximum in minimo, robuſtum in infirmitate, defectas vires ſolertia ingenii & calliditate penſatas. Parva, ſi apparatum ejus diſpicias, apparet ſaepenumero prudentia (quid enim ſerpens prae aquila?) ſed deinde res magnas efficit, vel coronas ex aquilino roſtro extorquens.

Henric. Stephani, (c) *Pariſienſis*, Olea partim florida, partim fractis ramis trunca, virum digito intento

(a) Vide Frid. Roth-Scholtzii Inſign. Sect. XVII. n. 220.
(b) Vide Sect. XVII. n. 222.
(c) Vide Sect. XIII. n. 166. Item Sect. V. n. 58.

tento admirabundum, & neſcio quid meditantem exhibet, & quoniam verba appoſita: *Noli altum ſapere*, ex cap. 11, 17. 18. ad Rom. depromta ſunt: Ne glorieris adverſus ramos etc. quid mihi jam ſcribenti haec aliud in mentem veniat, quam aliud ejusdem Apoſtoli? Curate, ut ſalutem aeternam cum metu & tremore conſequamini. Multi labuntur ante, quam ſe lapſos eſſe ſentiant.

Dominici Farrii, Onyx, ſeu unicornis, cruribus anterioribus terram fodicans, impuritatis quoddam ſimulacrum eſt, aut impietatis divina detrectantis: quo ſordibus terreſtribus adhaereſcat. Inſaniunt, ita me DEVS adjuvet, qui ſpreta coeleſti luce, nequitiae tenebris ſe involvunt. Conſtat autem ex hiſtoria naturali, unicornem ita facere, ſive ad requiem, ſive ad nequitiam, ut oculos nigriore facie obruat, ne ſolem vel lunam orientem intueatur.

Lvdovici Cloqvemirii, (d) *Lugdunenſis*, Cor binis manibus inter ſe complicatis prehenſum, atque à ſolis radiis illuminatum, cujus in margine occurrens interpretamentum: *Contrahitur corde, verbis initur, manibus conſervatur ſocietas*, teſtatur, ad ſocietatem firmam verba non ſufficere, licet ea januam ſocietati aperire poſſint, neque in manibus ſeu operis & officiis poſita eſſe omnia, niſi cor accedat, ſocietatis fidelis genuinum fundamentum. Amans animus, non ſpecioſa oris forma, amoris recti vinculum eſt.

Christoph Plantini, (e) *Antverpienſis*, Vitis uvis laetiſſimis amicta, ſed magis amicta verbis Evangeliſtae

(d) Vid. Sect. XVIII. n. 227. (e) Vid. Sect. V. n. 68.

liſtae Ioh. 15. *Chriſtus vera vitis*, fontem ſalutis aeternae ſuavi luſu adumbrat, a fertilitate fructus dulciſſimi deſumto Beatum, qui vitalem ſuccum non aliunde haurit!

Mich. Iovii, *Lugdunenſis*, Iupiter ſuae aquilae inſidens, tanquam orbis moderator, dextra quidem gerit ſceptrum; oculorum autem lumina in terras demittit; circumleguntur haec: *a Iove cuncta juvante*, vel apud Poëtam plenius: a Iove principium, Muſae, Iovis omnia plena. Sed quantum ponderis habet os Pauli! Quid habes, o homo, quod non acceperis. 1. Cor. 4.

Io. Mvrendorffii Manus è nubibus protenſa in plano ducit circulum, cum, *Conſtantia, labore*, vixque tanti eſſe laborem ſine perpetuitate docet. Finis enim, non principium, coronat.

Martini Nvcii, *Antverpienſis*, Ciconia, anguibus paſcens pullos ſuos, quid ſibi velit, oratione ligata exponitur: *Pietas homini tutiſſima virtus*; ubi pietas non cultum divinum, ſed amorem naturalem parentum in liberos denotat. Amat enim illa avis glottorans, quos incubando excluſit, quam vehementiſſime, & mire ſollicita eſt, ne quid unquam deſit victus quotidiani. Neque vero liberorum amor in parentes hinc ſequeſtrandus, cum pater Anchiſes filii humeris exceptus Aeneam per flammas furentes, (quae ſe tranſituro heroi ſua ſponte diviſiſſe finguntur) & per media hoſtium agmina, innoxium deduxerit. Ego filiis omnibus hoc loco & animum & os Aeneae opto: Cervici imponere (pater) noſtrae, ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.

Phil. Vlhardi, *Auguſtani*, Parnaſſus biceps, cum Muſis canentibus & alato Pegaſo, ſtudia literarum exprimere videtur, utpote quae animum ſerenum, locum opportunum, igniculos mentis excitatae variosque motus requirunt.

Io. Gesselini, *Pariſienſis*, Cerva alata curſuque per ſaltus volitans, quam brevis aevi ſimus omnes admonet, & ejusdem expoſitio: *Sic aetas non retinenda fugit.* Nec melius aetatis noſtrae conditio deſcribitur, quam per alas, vel invidiam, ſi eam alatam aut invidioſam cum Poëtis vocites. Occaſionem igitur, ſuadente Horatio, rapiamus de die, & veſtigia quaedam noſtri relinquamus, ex quibus nos aliquando vixiſſe teſtatum faciamus.

Regnavdi Chavdierii, *Pariſienſis*, Globus mundi, ſole, luna, caeterisque ſtellis & ventis perflantibus adſpectabilis, virque pariter alteram manum attollens, alteram demittens, aut ſtupendam mundanae machinae compagem, aut interitum orbis olim futurum, ubi DEO placuerit, palam facit.

Clavdii Largotii, *Lugdunenſis*, Viator, extenſa coelum verſus manu dextra, erectoque vultu apparens, & ſupra caput incedentis nomen Iehovah Hebr. literis ſcriptum, & inſcriptione: *Laudo, qui clare it*, omnia ſua negotia ſolis jubari exponit inſpicienda. Et ſancte quidem integreque: Nam qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipſius: Qui autem operatur veritatem, venit ad lucem, ut conſpicua fiant facta ipſius, quod per DEVM facta ſint. Ioh. 3.

Francisci Bazezzii, *Veneti*, Anguis in igne, quem manus aliqua coelitus protegit. *Si DEVS pro-*

pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. Scilicet DEO duce & auſpice DEO, nunquam ceſpitamus, nunquam in praeceps labimur, nunquam hoſtibus praeda ſimus. Si per ignem ambulaveris, ero tecum, neque flammae furor te abſumet. Eſa. 43.

Io. Francisci de Villava, *Valentini*, (*Hiſpani*) Laurus, & tria ſerta eidem intexta, & Hemiſtichion: *Hinc foliis laus orta meis*, originem ornamenti noſtri depingit. Ornatur utique laurus, cum ex ea complicatae coronae excellentium hominum capitibus imponuntur. Et qui patrem egregiarum virtutum eſt adeptus, & qui Patrono potente fruitur, ei triumphare ſimili modo licebit, dicendo: Hinc foliis laus orta meis.

Io. Frobenii, (f) *Baſileenſis*, Caduceum, ſeu baculus duabus ſerpentibus criſtatis, ſibique faciem mutuo obvertentibus ornatus, comite ulula Minervae dicata, argumento eſt, veram ſapientiam nullo tempore abeſſe â prudentia prudentique facundia, aeque ut vera prudentia matrem habet ſapientiam, & utraque ſublata, nihili aeſtimanda venit eloquentia, quae jactatur.

Lazarvs Zetznervs libris a ſe impreſſis praefigi curavit Scientiam, tanquam matronam, monile baccatum e colle ſuſpendentem, galeamque lanceatam gerentem in capite, adſtante lateri ejus ulula. Ad dextram ejus lapis quadratus viſitur erectus & conſolidatus, cujus medio inſcriptum eſt: *Scientia immutabilis.* Circa ipſam ſcientiam duae columnae locatae ſunt, quarum ad ſiniſtram Minerva Galeata, criſtata, haſtata, clypeata, cum Gorgonis capite, ad

(f) Vide Sect. VI. n. 74.

dextram Apollo Iupiter dextra baculum vel ſceptrum, quaſi globi ſuſtentaculum, juvenis imberbis, comatus lauro, ſiniſtra manu globum mundi ſuſtinet. Nam ſol & Iupiter apud quasdam gentes pro eodem DEO colebantur, quoniam Sol (Phoebus) & Iupiter mundi animus eſſe credebantur. In parte infima imaginis infra Scientiam, collocatus puer Cupido, ſedens, alatus, caput lauro cinctus, dextra ramum viridem, ſiniſtra librum apertum, in ſinu poſitum, prae ſe ferens. Platonici enim duos faciebant Cupidines, & alterum quidem coeleſtem, ex quo amor divinus exiſtat, quo ad rerum divinarum contemplationem humani animi accenderentur; alterum terreſtrem, rebus venereis praepoſitum. Iam vero Scientiam ornare poſſeſſores ſuos eisque tutum munimen, florentemque gloriam addere, praeterea ex principiis certis & immotis promanare, quo ipſa per ſe ſtet immota, inconcuſſa, invicta, eidem quoque operam navandam ab aetate juvenili, idque propter ſuam amplitudinem, res divinas atque humanas complectentem, & idcirco magnis ſtudiis inveſtigandam eſſe, exploratum jam dudum fuit ab iis, quos ſcientiarum variarum amor occupavit, & inde ad arcem ſapientiae invexit. v. *Turnebi Adverſaria. Argent. 1599. f.* Notetur hoc loco, quod in aliis quibusdam exemplis columnae deficiant, & ſolus Apollo cum lyra, & Deus alius cum organo muſico in illis deprehendantur. v. *Berneggerus in Suetonium*, *Argent. 1655. 4.*

Christoph. Froschovii, (g) *Tigurini*, Rana, in qua puer haſtam gerens ſiniſtra equitat, ridiulus eques; item Ranae ejusdem ſenſim in arborem pro-

(g) Vid. Sect. II. n. 13.

proſilientes, ad nomen Autoris alludunt. *Froſchovius* enim, quaſi Froſch auff/ vel auff den Froſch, vel Froſch auf den Baum/ excitamento eſſe potuit ad ſpem fortunae amplioris concipiendam, & ad audendum aliquid: cum audentes fortuna, non timentes, juvet. Repunt aliquando ranae, & primae fortunae rudimenta adumbrant; aliquando ſubſiliunt, & progreſſum illius deſignant; aliquando aſſiliunt eminentibus, & augmenta ſortis beatioris praedicant.

ANDREAE WECHELII, *Francofurtani*, Caduceus, ſeu virga Mercurii anguibus duobus complicata, cum gemino cornu copiae inſerto, ſuperpoſito Pegaſo, ſuppoſitisque duabus manibus inter ſe compreſſis, interjectis literis A. W. h. e. ANDREAS WECHEL: frequenter in diverſis libris, quibus inſignitur, proſtat. Sicut autem angues illi mercuriales pacem & concordiam, (ceu caduceus a legatis olim praeferebatur ad pacem conciliandam) cornu copiae rerum bonarum abundantiam, Pegaſus ingeniorum vigorem igneum, poſtremo dextrarum compreſſio firmitatem in amicitia, fidemque in benevolentia declarat: ita uberior hujus inventi expoſitio patet, quantum fides ſancta, perpetua conſociatio animorum, ſedula ingeniorum exercitatio poſſint conferre. v. Berentlaues Muſelmanniſche Hiſtorie, *Francof.* 1595. *f. Geſta DEI per Francos ibid.* 1611. *f. in qua editione adhuc Circulus inditur, cum palma arbore, ad quam acclinis ſedet vir, pallio amictus, qui videtur eſſe Elias Propheta, pone accedit angelus, diſco aliquid portans, infra legitur: Iudaea. Dioſcoridis Opera, item Theophraſti Ereſii Opera. Aslaci Phyſica & Ethica Moſaica. Sigonius de Republica Hebraeorum. Barthii Zodiacus, etc.* N Io.

Io. Oporinvs (h) *Baſilienſis*, Arionem Lesbium illum Citharoedum, ſtantem ſuper Delphine, panduraque reſonantem, per medias undas maris, in quod a rapacibus furibus ejectus, ſed, ope hominum deficiente, a beſtia marina tergo exceptus molliter & officioſe in littus patrium poſtremo deportatus eſt. In Cyclo notatu digna leguntur ex Poëta Latino: Invia virtuti nulla eſt via. Fata viam invenient. Alias etiam hoc lemma occurrit obſervantibus: artem quaevis alit terra. v. *Laeti Colloquia moralia*, *Baſileae 1573.*

Simile inſtitutum, ſed prolixiore opera, duo diſcipulorum noſtrorum tenebunt,

I. David Christianvs Lohdivs, *Stargardia-Luſatus.*

II. Christianvs Fridericvs Ehivs, *Cygnea-Miſnicus.* Prior Symbolum Lvdovici Elzeverii (i) *Amſtelodamenſis*, Oleam, penes quam Minerva galeata, cum Aegide & ulula, tribus verbis: *Ne extra oleas*; Poſterior ex Officina Elzeveriana, *Lugduno Batava*, Vlmum vitibus amictam, cum duobus voculis: *Non ſolus*, ſibi elegerunt, ea mente, ut illinc aurea virtutis mediocritas, iſtinc ſocietatum civilium utilitas deduceretur. Id quod praeſentibus literis praefari me oportuit. P. P. Cygneae d. 15. Octob. 1714.

(h) Vid. Sect. VI. n. 77. (i) Vide Sect. XIII. n. 167.

CLAV-

CLAVDII MINOIS, JCt.
DIVIONENSIS,
OBSERVATIO
DE QVIBVSDAM SYMBOLIS TYPOGRAPHICIS
AVCTA A THEODORO CRVSIO.*

NOn mihi tempero, quin animi cauſſa quorundam rei typographicae peritorum hominum huc adjiciam Eiconas, quibus ingenioſe uti ſoleant in ſuorum librorum frontiſpiciis, quibus ſe vel ingenio, vel arte, meliorum litterarum adjumento neceſſaria commendant. Vnus imprimis habitus litteris primum renaſcentibus, qui pure, nitideque Typographiam illuſtravit, Aldvs Manvtivs, (a) *Romanus*, qui pro nota ſingulari ac propria ſibi ſumſit Delphinum anchorae alligatum, forte ad laudem maturitatis, quae medias partes teneat inter nimiam ac praecipitem celeritatem, & tarditatem. Excidit mihi memoria Typographi ex ſolo Italico, qui etiam ante Aldi aetatem Sirenem habuit, qua uſus in ſuorum fronte voluminum, ad eloquentiae, niſi me conjectura fallit, ſimulacrum oſtentandum. Alioqui me non fugit, Sirenum nomen ad alios flecti ſenſus, de quibus nos etiam ſuo loco.

* E cujus *Symbolotheca Docta* p. 8. ſeq. huc eam transſcribere e re noſtra viſum eſt.

(a) Vide Fr. Roth-Scholtzii Inſign. Sect. I. n. 1. 4. Item, Sect. XV. n. 192. 193. & 194.

Sebastianus Gryphius, *Lugduni* eam artem pervigili ſtudio illuſtriorem fecit, ſuamque ſolertiam nobili Symbolo patefecit, captato ſui nominis etymo, vel alluſione potius. In tabellae planicie Gryphis effigies, qui unguibus pedis dextri ſaxum quadratum attollat; ſubtus Orbis, ſeu figura ſphaerica, ad cujus partem utramque totidem alae; ſeu plumae adfixae, addito noëmate: VIRTUTE DUCE COMITE FORTUNA. Quae verba duo vim ſchematis ingenioſi concipiunt.

Apud Germanos, *Baſileae*, FROBENIUS, artis ejuſdem apud ſuos Roſcius, ſtemma libris editis affixit erectum baculum duabus arreptum manibus, in cujus apice avicula, & ex parte utraque duo ſerpentes complicati, ſed nullo addito vocali Symbolo. Credibile eſt Virum ſolertem his notis bene dicendi artem, quae baculo innuitur, quaſi ſepiri ac colligari ſapientia, quae apud Veteres Serpentis nomine ſignaretur.

Ioannes Oporinus, (b) eruditus ſane Vir, nedum Typographus, Delphino inſidentem Ariona lyrae fides attrectantem digitis ſibi legit, forte indicans, litteratorum Virorum ſalutem in mediis ac tempeſtuoſis Vitae hujus fluctibus tutam ac ſecuram: aut etiam eruditos homines a ſuis nonnunquam male haberi, ab extraneis excipi humanius. Nimis multus eſſem, ſi ſingularum Urbium Germanicarum velim colluſtrare officinas: alioqui fateor ingenue plures eſſe vel *Coloniae Agrippinae*, vel *Francofurti*, vel *Spirae*, aliiſque celebribus Germaniae Civitatibus, quarum Typographi eruditis ſuis Symbolis non minus ſeſe Orbi

(b) Vide Sect. VI. n. 77.

Orbi Chriſtiano commendarunt. Sed ad noſtros venio, qui ſeſe iis ſuperioribus aequarunt, vel certe nusquam inferiores habiti ſunt. Inter eos nemo mihi occurrit illuſtrior, vel ſuo aevo peritior, aut diligentior ROBERTO STEPHANO, (c) qui pro familiari ſchemate arborem habuit in ramos porrectam, addita figura ſpeculantis hominis, verbo adſcripto D. Apoſtoli: NOLI ALTVM SAPERE: qua nota viſus eſt arguere nimis curioſam de rebus obſcuris ac divinis inveſtigationem, & doctrinae cuicunque apponendum modum.

SIMONIS COLINAEI, (d) politi hominis, laudata noſtris & exteris induſtria, qui ut litteras, earumque gloriam ne quidem tempore intermorituram; ſuo agalmate repraeſentaret, Saturnum falce metentem omnia depinxit, addito verſiculo ut Symboli anima: VIRTVS SOLA ACIEM RETVNDIT ISTAM. Non praetereo ANDREAE WECHELI Equum Pegaſum, de quo in fabulis, quod ſignum immortalis nominis per doctrinam comparandi. Elegans & bene ſubactum ingenium, judicium par, mores inculpati FEDERICI MORELLI, cujus inſigne, fons, perennes fluvios doctrinae omnis ingenuae ac liberalis ſignificat. Qui vir cum in Vivis eſſet, bona fide praeſtitit quod artis fuit, & reliquit liberos, qui eandem palmam extendunt in dies uberius, nec unquam illum fontem ſinunt areſcere. SEBASTIANVM NIVELLIVM, probum & honeſtum Virum ſuae jamdudum Ciconiae delectarunt, notum ſignum τῆς ἀντιπελαργίας. Et IACOBVM PVTEANVM, ſua Samaritana puteo proxima, non

O ad

(c) Vide Sect. V. n. 58. Item Sect. XIII. n. 166. Item Sect. XXI. et XXII.

(d) Vide Sect. VIII. n. 105.

ad alium quaeſita finem, quam ut alluderet ad ſui cognominis aliquam rationem.

NICOLAO CHENELLO ſeu QVERCVLO placuit Quercus, & telorum ſeu arundinum faſciculus una colligatus, & arbori appenſus, affixo Epigrammatejo VIS NESCIA VINCI. Quod ex Scylluri petitum monito ad filios, cum morti proximus Concordiam ſuaderet.

CHRISTOPHORI PLANTINI (e) cujus memoriam ſancte colo, ſignum familiare ac proprium, Circinus, cum erudita Gnoma: LABORE ET CONSTANTIA. Circulus in ſe circumactus Laborem indefeſſum: idem in puncto haerens, conſtans animi propoſitum notat. Id ſane Plantino Sphragidion conveniens, quo homine nullus laboris patientior, nullus in vitae omni propoſito tenacior fuit, praeter eam morum facilitatem, qua ſeſe omni hominum ſorti probavit.

AEGIDIVS BEYSIVS, (f) Plantini gener, vir certe bonus, idemque induſtrius, conatus ſoceri ſtudia aemulari, laborioſe & conſtanter ſeſe geſſit, & praepropera morte deſiderium ſui reliquit. Is, cum ante annos pene ſedecim Symbolum ſibi peculiare ac proprium quaereret, me percontatus, rogavit aliquid reperirem, quod aliis ita commune non foret: ego illi ſertum albi Lilii lubens exhibui, addito boni Poëtae hemiſtichio: CASTA PLACENT SVPERIS. Symbolum moribus hominis accommodum, quem notum ab omnibus illecebris turpium Voluptatum inprimis abhorrere. Nec vero poſſum tranſilire IOANNIS


(e) Vide Sect. V. n. 68. (f) Vide Sect. I. n. 5.

nis Richerii Arborem vireſcentem, cum ſententioſa nota: ὄλβιος αὐταρκής. Quae tamen parum admodum reſpondet arbori ei virenti, ſi bene corpus Symboli cum anima aeſtimemus. Gravius ſane & melius, meo quidem judicio, Stephanus Fassetus, Richerii ſocer, ante uſurparat arborem Viroris plenam, addito verbo ex Davide: Folium Non Deflvet. Hoc eſt, metuenti Deum nihil defuturum. Quae omnia quaſi per Satyram conjicio, non ſingula perſequi cogito, quae ut adgregare difficillimum eſſet, ſic non perinde frugiferum. Alioqui memini me, cum quidem plus otio abundarem, vel antequam me publici muneris ratio totum occupaſſet, ſelegiſſe librum Symbolorum, quae vulgus noſtratum *deviſes* nuncupat, non tam genio meo, quam voluntati aliorum ſerviens. Seorſum etiam, dum ſtudiis gravioribus quaero mihi ſolatium, non pauca ſcripſi emblemata, in quibus cecini mihi hactenus ac muſis, deque iis edendis non ſum magnopere ſollicitus. *Hactenus* Clavdivs Minos.

His adde Iodocvm Badivm (g) qui ex Proelo ſuo Aſcenſiano notus eſt; Adrianvm Tvrnebvm, Typographum Regium Pariſienſem, cui fuit Chyrſus lauru & ſerpentibus circumdatus, prout typographis regiis convenit; Gvilielmvm Rovillivm, (h) cui ſignum eſt aquila globo inſidens cum ſerpente ab utroque latere. Sic Elzeviriorvm, (i) ſignum eſt Olea, cum adſtante Minerva, & ab altera parte ulula cum inſcriptione: *Ne extra Oleam.* Officinae Hackianae eſt aquila per aërem volitans, cui inſcriptum: *Movendo,* Signum Theatri Scheldoniani (k)

(g) Vid. Sect. IX. n. 113. (h) Vid. Sect. XVII. n. 222.
(i) Vid. Sect. XIII. n. 167. (k) Vide Sect. XXVIII. n. 313.

